

indiciareptantisinfantiae, utpote verus ex te filius tibi Matri alludere, cum verus ex Patre Dominus imperaret. Nam auctorem tuum ipsa concipiens, edidisti in tempore Redemptorem, quem habebas ante tempora conditorem. O felix puerperium, lætabile Angelis, optabile Sanctis, necessarium perditis, congruum profligatis! Qui post multas assumptæ carnis injurias, et ad ultimum verberatus flagris, potatus felle, affixus patibulo, ut te veram Matrem ostenderet, verum se hominem patièdo monstravit.

R. Ornata monilibus.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. xix. e

In illo tempore : Stabant juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus Maria Cleophae et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

Homilia lxxxiv. in Joann.

Christus crucifixus Matrem suam discipulo commendat : erudiens nos ad

ultimum usque spiritum, parentum curam habendam. Cum intempestive ab ea appellatus est, inquit : Quid mihi et tibi mulier? Et alibi : Quæ est Mater mea? Hic imensam caritatem ostendit, et commendat eam discipulo quem diligebat. Iterum nomen suum modeste subticet Joannes ; nam si se jactare voluisset, quam ob rem diligeretur, exposuisset. Credibile enim est magnam esse et admirandam. Qua autem gratia nihil aliud dicit Joanni, neque eum consolatur? Quod intempestivum erat : præterea non parvo eum honore his verbis afficiebat, neque parvum præsentiae suæ præmium capiebat.

R. Felix namque.

Lectio viij.

Tu autem considera, quo modo crucifixus omnia sine aliqua perturbatione transégit. Discipulo Matrem commendavit, prophetias implévit, latroni spem bonam dedit. Atqui antequam crucifigeretur, sudavit, perturbatus est, timuit. Quid hoc sibi vult? Nihil dubii, nihil

non manifestum. Illic enim naturæ imbecillitas, hic potestas demonstrata est. Præterea his nos duobus admonet, ut licet ante malis perturbemur, non tamen abstinendum est quin ea subeamus : et cum in certamen descendimus, omnia facilia et levia putanda sunt. Nolimus ergo mortem formidare. Insitus est animæ naturaliter vivendi amor : sed in nobis est, vel hoc vinculum solvere et eam minuire cupiditatem ; vel ligare et vehementiorem efficere. **R.** Beátam.

Lectio ix.

Stabant autem mulieres juxta crucem : et sicut imbecillior sexus tunc fortior apparuit, ita omnia reformavit. Ipse matrem commendans, inquit : Ecce filius tuus. O honorem quem discipulo tribuit! Cum enim jam obiret, Matris curam discipulo reliquit. Nam cum par esset utpote Matrem dolere et protectionem quærere, merito dilecto commendat ; cui etiam inquit : Ecce Mater tua. Hoc dixit, ut dilectione devincerentur. Quo cognito, discipulus eam secum adduxit. Sed

cur non alius cuiuspiam mulieris meminisset, cum adessent? Admonens quiddam amplius matribus tribuendum. Ut enim cum spiritualia impediunt parentes, nec cognoscendi quidem sunt : ita cum nihil impediunt, merito omnia his sunt tribuenda, et omnibus præferendi : quia genuerunt, quia educarunt, quia innúmeras pro ipsis molestias subierunt. **Te Deum.**

In Laudibus, ad Bened.

Aña. Regina. ut supra.

DOM. IV. POST PASCHA

Octava

Patrocinii S. Joseph. Duplex.

Omnia ut in Festo, præter sequentia.

In j. Nocturno, Lectio de Scriptura occur.

In II. Nocturno.

Sermo sancti Augustini Episcopi.

Lib. i. de Nupt. et Conc. c. xj.

Lectio ib.

Non fallaciter ab Angelo dictum est ad Joseph : Noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Conjux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognove-

rat, nec fuerat cogniturus : nec perierat, nec mendax manserat conjugis appellatio, ubi nec fuerat, nec futura erat ulla carnis commixtio. Erat quippe illa Virgo : ideo et sanctius et mirabilius jucunda suo viro, quia etiam foecunda sine viro, prole dispar, fide compar. Propter quod fidele conjugium parentes Christi vocari ambo meruerunt, et non solum illa mater, verum etiam ille pater ejus, utrumque mente, non carne. Sive autem ille pater sola mente, sive illa mater et carne, parentes tamen ambo humilitatis ejus, non sublimitatis, infirmitatis, non divinitatis.

R. Dedisti.

Lectio v.

NEque enim mentitur Evangelium, ubi legitur : Et erat pater ejus et mater mirantes super his, quae dicebantur de illo. Et alio loco : Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem. Item paulo post : Et dixit mater ejus ad illum : Fili quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quaerabamus te. At ille, ut

ostenderet habere se praeter illos patrem, qui cum genuit praeter matrem, respondit eis : Quid est, quod me quaerebatis? Nesciebatis, quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse? Et rursum ne hoc dicto parentes illos negasse putaretur, Evangelista secutus adjunxit : Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad illos, et descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis. Quibus subditur, nisi parentibus? Quis autem subditus, nisi Jesus Christus, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo?

R. Staret.

Lectio vi.

CUR ergo illis subditus, qui longe infra formam Dei erant, nisi quia semetipsum exinanivit formam servi accipiens, cujus formae parentes erant, sed profecto nec ipsius formae servi parentes ambo essent, nisi inter se etiam sine carnis commixtione conjuges essent : unde et series generationum, cum parentes Christi connexionem successione commemo-

rantur, usque ad Joseph potius, sicut factum est, fuerat perducenda : ne in illo conjugio virili sexui, utique potiori fieret injuria, cum veritati nihil periret, quia ex semine David, ex quo venturus praedictus est Christus, et Joseph erat et Maria. Omne itaque nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles, fides, sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum : fidem, quia nullum adulterium : sacramentum, quia nullum divortium. **R.** Si consistant.

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. iij. c

IN illo tempore : Factum est autem, cum baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato et orante, apertum est caelum. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini

Episcopi. **Serm. xxxvj. de temp. Bapt. Chr.**

Atalis hodie alter est quodam modo Salvatoris. Nam eiusdem eum signis, eiusdem miraculis cognoscimus genitum, sed nunc majori mysterio baptiza-

tum. Ait enim Deus : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Praeclarius plane est secunda, quem prima nativitas. Illa enim sine teste silentio Christum genuit, ista cum divinitatis professione Dominum baptizavit. Ab illa se Joseph, qui pater putabatur, excusat : in hac se pater, qui credebatur, insinuat : Ibi laborat suspitionibus mater, quia professioni deerat pater : hic honoratur Genitrix, quia divinitas Filium protestatur. Honoratior, inquam, secunda, quam prima nativitas. Siquidem pater hic Deus majestatis inscribitur, illic Joseph artifex aestimatur. Et licet in utraque Dominus per Spiritum sanctum et natus sit et baptizatus, tamen honoratior est, qui de caelis clamat, quam qui in terris laborat. **R.** Joseph.

Lectio viij.

Joseph ergo faber in terris pater putabatur esse Domini Salvatoris, nec ab hoc opere Deus, qui vere est Pater Domini nostri Jesu Christi, excluditur : nam est et ipse faber. Ipse enim

est artifex, qui hujus mundi machinam non solum mirabili, sed etiam ineffabili potentia fabricavit. Tamquam sapiens architectus cœlum sublimitate suspendit, terram mole fundavit, maria calculis alligavit. Ipse est artifex, qui ad mensuram quamdam superbiam depōnit fastigia, humilitatis extrēma sublimat; ipse est artifex, qui in nostris moribus præcudit superflua opera, utilia quæque conservat. Ipse est artifex, cujus securim ad radicem nostram positam Joannes Baptista comminatur, ut omnis arbor, quæ normam justæ discretiōnis excēsserit, excisa radicitus tradatur incendio, quæ autem mensuram veritatis habuerit, cœlesti fabricæ deputetur. **℟.** Surge.

Lectio ix. de Homil. Domin. IV. post Pascha; cujus Commem. in Laudibus.

FERIA IV.
POST DOM. ASCENSIONIS
DOMINI.

**B. M. V. de Luce
Patronæ princ. Dioc.
Leonensis. Duplex j. cl.
cum Oct.**

Omnia ut in Festis B. M. V. per annum. præter seq. In j. Nocturno, Lect. Ego sapiētia.

In II. Nocturno.
Homilia sancti Cyrilli
Episcopi Alexandrini.
Homilia contra Nestor.

Lectio ix.

Quare video cœ-
tum Sanctorum
omnium, qui con-
venērunt promptis ani-
mis, a sancta et Dei Ma-
tre Maria semper Virgine
convocati. Laus et gloria
sit tibi, sancta Trinitas,
quæ omnes nos ad hanc
celebritatem convocasti.
Sit etiam tibi, sancta Dei
Mater, laus. Tu enim es
pretiosa margarita orbis
terrarum: tu lampas in-
extinguibilis, corona vir-
tutatis, sceptrum ortho-
doxæ fidei, templum in-
dissolubile, continenseum
qui nusquam contineri
potest: Mater et Virgo,
per quam benedictus, qui
venit in nomine Domini,
in sanctis Evangelii nomi-
natur. **℟.** Sicut cedrus.

Lectio v.

PER te Trinitas san-
ctificatur: per te
crux pretiosa celebratur
et adoratur in toto orbe
terrarum. Per te exsultat
cœlum, lætantur Angeli

et Archangeli, fugantur
dæmones, et homo ipse
ad cœlum revocatur. Per
te omnis creatura, idolo-
rum errore detenta, con-
versa est ad agnitionem
veritatis, et fideles homi-
nes ad sanctum baptisma
pervenērunt, atque in
toto orbe terrarum con-
structæ sunt ecclesiæ.

℟. Quæ est ista.

Lectio vj.

TE adjutrice, gentes
veniunt ad penitē-
tiam. Quid plura? Per te
unigenitus Dei Filius,
vera illa lux, effulsit se-
dentibus in tenebris et
umbra mortis. Per te
Prophætæ prænuntiā-
runt, per te Apostoli sa-
lutem gentibus prædicā-
runt. Quisnam poterit
tuarum laudum præconia
explicare, Maria mater
et virgo? Hanc, fratres
dilectissimi, celebrēmus,
ejus Filium Ecclesiæ
sponsū immaculatum
adorantes: cui honor et
gloria in sæcula sæculō-
rum. Amen. **℟.** Ornatum.

In III. Nocturno.

**Lectio sancti Evangelii
secundum Lucam.**

Lectio vij. Cap. ij. f
In illo tempore: Cum
redirent, remansit
puer Jesus in Jerusalem,

et non cognoverunt pa-
rentes ejus. Et reliqua.
Homilia sancti Bernardi
Abbatis.

**Homil. j. de Laud.
Virg. Matr.**

Quare et Dominum
Angelorum Ma-
ria suum Filium
appellat, dicens: Fili,
quid fecisti nobis sic?
Quis hoc audeat Angelō-
rum? Sufficit eis, et pro
magno habent, quod cum
sint spiritus ex conditiō-
ne, ex gratia facti sint
et vocati Angeli, testante
David: Qui facit Ange-
los suos spiritus. Maria
vero matrem se agnō-
scens, majestatem illam,
cui illi cum reverentia
serviunt, cum fiducia
suum nūcupat Filium:
nec dedignatur nūcupā-
ri Deus, quod esse dignā-
tus est. Nam paulo post
subdit Evangelista: Et
erat subditus illis. Quis?
quibus? Deus hominibus?
Deus, inquam, cui An-
geli subditi sunt, cui
Principatus et Potestates
obediunt, subditus erat
Mariæ. **℟.** Felix namque.

Lectio viij.

Mirare utrumlibet, et
elige quod amplius
mireris, sive Filii beni-
gnissimam dignationem,

sive Matris excellentissimam dignitatem. Utrinque stupor, utrinque miraculum. Et quod Deus feminae obtemperet, humilitas absque exemplo: et quod Deo femina principetur, sublimitas sine socio. In laudibus Virginum singulariter canitur, quod sequuntur Agnum quocumque ferit. Quibus ergo laudibus iudicas dignam, quae etiam praet? Disce, homo, obedire: disce, terra, subdi: disce, pulvis, obtemperare. De Auctore tuo loquens Evangelista: Et erat, inquit, subditus illis. Erubescere, superbe cinis: Deus se humiliat, et tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, et tu dominari gestiens hominibus, tu te praeponis Auctori?

R. Beatum.

Lectio ix.

Felix Maria, cui nec humilitas defuit, nec virginitas! Et quidem singularis virginitas, quam non temeravit, sed honoravit fecunditas. Et nihilominus specialis humilitas, quam non abstulit, sed extulit fecunda virginitas: et incomparabilis prorsus fecunditas, quam virginitas simul

comitatur et humilitas. Quid horum non mirabile? quid non incomparabile? quid non singulare? Mirum vero, si non haesitas, in horum ponderatione, quid tua iudices dignius admiratione, utrum videlicet potius stupenda sit fecunditas in Virgine, an in Matre integritas: sublimitas in prole, an cum tanta sublimitate humilitas: nisi quod indubitanter horum singularis praefenda sunt simul cuncta, et incomparabiliter excellentius est atque felicius omnia percepisse quam aliqua. Et quid mirum, si Deus, qui mirabilis cernitur et legitur in Sanctis suis, mirabilior se exhibuit in matre sua? Veneramini ergo, conjuges, in carne corruptibili carnis integritatem: vos, sacrae virgines, in Virgine fecunditatem. Imitamini, omnes homines, Dei Matris humilitatem. **Te Deum.**

DIE V. MAIL.
Conversionis
sancti Augustini
Episc. Conf. et Eccl. Doct.
Duplex.
IN I. VESPERIS.
Si dicendae sint integræ

Añae et Capitulum de Laudibus, Psalm. ut in j. Vesperis Apost.

Hymnus. Jam suo tandem, ut ad Matutinum.

V. Ora pro nobis, beate Augustine, alleluia. **R.** Ut digni efficiamur promissionibus Christi, alleluia.

Ad Magnificat, Aña. Augustini Mater devotissima: sublimitas in prole, an cum tanta sublimitate humilitas: nisi quod indubitanter horum singularis praefenda sunt simul cuncta, et incomparabiliter excellentius est atque felicius omnia percepisse quam aliqua. Et quid mirum, si Deus, qui mirabilis cernitur et legitur in Sanctis suis, mirabilior se exhibuit in matre sua? Veneramini ergo, conjuges, in carne corruptibili carnis integritatem: vos, sacrae virgines, in Virgine fecunditatem. Imitamini, omnes homines, Dei Matris humilitatem. **Te Deum.**

Oratio ut ad Laudes.

AD MATUTINUM.

Invitat. Magnus Dominus, et laudabilis valde: * Qui de tenebris gentium lumen Ecclesiae suae vocavit Augustinum, alleluia.

Hymnus.

JAM suo tandem satiata voto
Gaudeat mater, videatque natum,
Quem prius mundo genuit, renatum
Flumine sacro.

Gaudeat caelum, quia sole tanto
Fulgidum, tantis meritis coruscat:

Gaudeat tellus, quia tam potenti

Fulta columna.

Tu Parens nostros miserere casus,
Amove dextram populo cadenti,
Neve grassetur, cohibeto summi

Numinis iram.

Laus Patri summo, Genitoque semper,
Quique procedit simul ex utroque

Spiritus sanctus, Deus unus idem

Laus tibi semper.

Amen.

In I. Nocturno.

Aña. Aperuit Augustinus codicem apostolicum, et coniectis oculis ad primum capitulum, legit: Induimini Dominum Jesum Christum. Et statim quasi infusa luce securitatis, ab eo omnes dubitatis tenebrae diffugerunt, alleluia.

Psalmi de Comm. Conf. Pontificis.

V. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, alleluia. **R.** Stola gloriae induit eum, alleluia.

De Epistola beati Pauli Apostoli ad Romanos.

Lectio j. Cap. vij. c

SCimus enim, quia lex spiritualis est: ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Quod enim ope-

ror, non intéllego : non enim quod volo bonum hoc ago : sed quod odi malum, illud fácio. Si autem quod nolo, illud fácio, conséntio legi, quóniam bona est. Scio enim quia non hábitat in me, hoc est, in carne mea, bonum. Nam velle ádjacet mihi; perficere autem bonum, non invénio. Non enim quod volo bonum, hoc fácio; sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud fácio, jam non ego óperor illud, sed quod hábitat in me, peccátum. Invénio igitur legem volénti mihi fácere bonum, quóniam mihi malum ádjacet.

R. Invénit se Augustínus longe esse a Deo in regióné dissimilitúdinis, tamquam audíret vocem Dei de excélsó : Cibus sum grándium : * Cresce, et manducábis me, allelúia. **V.** Nec tu me mutábis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutáberis in me. — Cresce.

Lectio ij.

Condeléctor enim legi Dei secúndum interiorem hóminem : video autem áliam legem in membris meis, repugnán-

tem legi mentis meæ, et captivántem me in lege peccáti, quæ est in membris meis. Infélix ego homo, quis me liberábit de córpore mortis hujus? Grátia Dei per Jesum Christum Dóminum nostrum. Igitur ego ipse mente sérvio legi Dei; carne autem legi peccáti. Nihil ergo nunc damnatiónis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secúndum carnem ámbulant, sed secúndum spíritum. Qui enim secúndum carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt; qui vero secúndum spíritum sunt, quæ sunt spíritus, sentiunt. Qui autem in carne sunt, Deo placére non possunt.

R. Sensit igitur, et expértus est, non esse mirum, quod paláto non sano pœna est panis, qui sano est suávis : * Et oculis ægris odiósa est lux, quæ puris est amábilis, allelúia. **V.** Propter iniquitátem corripuisti hóminem, et tabescere fecisti sicut aráneam ánimam ejus. — Et.

Lectio iij. Cap. xiiij. d

Ethoscíentestempus : quia hora est jam nos de sommo súrgere. Nunc

enim próprior est nostra salus, quam cum credidimus. Nox præcésit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus : non in comessatióibus et ebrietátibus, non in cubilibus, et impudicítiis, non in contentiône, et æmulatione; sed induímur Dóminum Jesum Christum, et carnis curam nefeceritis in desidériis. Infirmum autem in Fide assúmte, non in disceptatióibus cogitatiónum. Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi móritur. Sive enim vivimus, Dómino vivimus, sive mórimur, Dómino mórimur. Sive ergo vivimus, sive mórimur, Dómini sumus.

R. Tunc vero invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellécta conspéxit; sed áciem figere non váluit, quia non secum ferébat, nisi amántem memóriam, * Et quasi olfácta desiderántem, quæ comédere nondum posset, allelúia. **V.** Quid autem sacraménti habéret, Verbum caro factum est, nec suspicári quidem

póterat. — Et. Glória Patri. Et.

In II. Nocturno.

Añá. Verúntamen primam hujuslectiõem non intélligens, totúmque tale árbitrans, distulit repeténdum exercitátiór in Dóminico eloquio, allelúia.

V. Elégit eum Dóminus sacerdotem sibi, allelúia.

R. Ad sacrificándum ei hóstiam laudis, allelúia.

Lectio ib.

Ugustínus unde vigésimum annum agens, spreta, ut ipse ait, religiõe, quæ sibi púero a paréntibus insita erat, ad Manichæos defécit, iisdémque novem annos adhæsit. Sed et Carthágine, ubi rhetóricam profitebátur, illicitis amóribus irretitus est, ac Genethliacórum deliramenta aliquámdiu secútus. Auditórum Carthaginénsium immodéstia offénsus, audito Romæ adolescentis sedátius lítteris óperam dare, matre decépta, conscénso clam navígio, illuc conténdit : ubi corréptus ægritúdine, in vitæ discrimen incidit. Sed piæ matris precibus servátus est, ejus discéssum errorésque inconsolabiliter defléntis.

Confirmata valetudine, eloquentiæ scholam aperuit, ac ferme per annum Romæ, docuit. Post a Symmacho Urbis præfectorum rhetoricam ipsam publice professurus missus est Mediolanum; ubi sanctum Ambrósium disputantem in populo studiose audiens, perspecta Manetis insania, nondum tamen recte sentiens, Academicorum more de omnibus dubitans, atque inter omnia fluctuans, Manichæos relinquere decrevit; ac tamdiu esse catechumenus, donec aliquid sibi certi eluceret, quo vitæ cursum intenderet.

R. Itaque avidissime legere cepit præ ceteris Apóstolum Paulum: * Et perierunt illæ quæstiones, in quibus aliquando visus est ei adversarii testimonii Legisset Prophetarum, textus sermonum ejus, alleluia. **V.** Et apparuit una facies eloquiorum castorum, et exultare cum tremore didicit. — Et.

LECTIO V.

CUM autem Ambrósii conciones frequentaret, et sacras Litteras, præsertim divum Paulum,

avidissime légeret, ad catholicam Fidem serio animum adjécit; quem valde jam incensum, magis impulit sancti Simpliciani, cui æstus animi sui contulerat, gravis adhortatio. Nam is Márii Victorini, célebris quondam in urbe Rhetoris, ei exemplum propósuit, quem in senecta, mirante Roma, gaudente Ecclésia, Christo nomen dedisse memorabat. Susceptum consilium morabantur desiderium conjugii, et sæculi blandimenta. Sed Pontiano narrante de Antonii mirabili sanctorum monia, atque de illius sectatoribus in eremo austeriorem vitam colentibus, abeunte illo, tenere se non potuit, quin ad Alipium conversus exclamaret: Quid est hoc? inquit: surgunt indocti, et cælum rapiunt, et nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce ubi volutur in carne et sanguine. Mox adjectum ædibus hortulorum ingressus, sub sic stratus, cum veterum voluptatum memoria animum pertentaret, vocem audivit, quasi pueri vel puellæ canentis: Tolle, lege; tolle, lege.

R. Immisit ergo Dominus in mentem ejus, visumque est ei bonum in conspectu ejus pergere ad Simplicianum, * Qui ei bonus apparébat servus Dei, et lucébat in eo gratia divina, alleluia. **V.** Audierat enim, quod a juventute sua devotissime Deo viveret, et vere sic erat. — Qui.

LECTIO VI.

QUOD ille divinitus sibi dictum interpretans, concitus surgens sacrarum Litterarum códicem in proximo apériens, in ea Apóstoli verba incidit: Non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudiciis, non in contentione, et æmulatione; sed induimini Dominum Jesum Christum. Tunc vero quasi infusa ejus cordi securitatis luce, omnes ab eo hæsitatiõnis tenebræ discussæ sunt. Itaque abjecta omni rerum humanarum cura, non modo Baptismum suscipere, sed etiam Deo ad dictius servire constituit. Igitur abdicato docendi munere, una cum matre, quæ ex Africa ad eum venerat, atque amicis, rus concédens, sacris præci-

bus, et jejuniis vacans, monastica vitæ, quam post amplexus est, rudimenta posuit. Sed ubi tempus advénit, quo sacro lavacro nomen dare oportebat, Mediolanum rediit, ipsisque Paschalibus diebus, incredibili omnium lætitia, una cum filio Adeodato, atque Alipio familiari, multisque aliis, lustralibus lymphis a beato Ambrósio expiatus est, annos natus triginta tres. Tunc vero Ambrósius, ut scribit sanctus Dacius, ob tanti viri conversionem Deo gratias acturus, Te Deum laudamus præcinnuit, Augustino vicissim respondente, Te Dominum confitemur. Atque ita sacer ille hymnus, quo assidue ecclesiastica templa resonant, a viris sanctissimis, alternis ad finem usque contextus est.

R. Volébat enim conferenti æstus suos, ut proferret, quis aptus esset modus vivendi sic affecto, ut ipse erat, ad ambulandum in via Dei: * In qua alius sic, alius sic ibat, alleluia. **V.** Displicébat enim ei quidquid agébat in sæculo præ dulcedine Dei, et decore

domus ejus, quam diléxit.
— In qua álius. Glória
Patri. In qua álius.

In III. Nocturno.

Añã. Flebat autem ubér-
rime, in hymnis et cánti-
cis suáve sonántis Ecclé-
siæ vócbus veheménter
affectus, allelúia.

V. Tu es sacérdos in
ætérum, allelúia. **R.** Sec-
cúndum órđinem Melchí-
sedech, allelúia.

Léctio sancti Evangéllii
secúndum Matthæum.

Lectio viij. Cap. xix.
IN illo témpore : Dixit
I Petrus ad Jesum : Ecce
nos reliquimus ómnia, et
secúti sumus te, quid
ergo erit nobis? Et réli-
qua.

Homilia sancti Joánnis
Chrysóstomi.

Homil. lxxv. in Matth.
in init.

Uænam sunt hæc
ómnia, quæ tu
dicas beatissime
Petre reliquisse? Arún-
dinem, rétia, naviculam,
universúmque piscató-
rium ædificium, hæc tu
ómnia vocas? Ita, inquit,
sed non ambitione qua-
dam, aut ináni glória,
verum ut páuperum ple-
bem hac interrogatióne
introducám. Nam quó-
niam a Dómino dictum

est : Si vis perfectus esse,
vende quæ habes, et da
paupéribus, et habébis
thesáurum in cœlo, ne
quis páuperum opinétur,
non posse ad perfecti-
onem se pervenire; cum
non hábeat quæ paupé-
ribus offerat; quærit Pe-
trus, ut tu discas, nihil te
minus propter inópiam
habitúrum.

R. Vulneráverat caritas
Christi cor ejus, et gestá-
bat verba ejus in viscé-
ribus, quasi sagittas acú-
tas : * Et exémpla ser-
vórum Dei, quos de
mórtuis vivos fécerat,
tamquam carbónes vasta-
tóres, allelúia. **V.** Ascen-
dénti a conválle plora-
tiónis, et cantánti cánti-
cum grádium, déderat
sagittas acútas. — Et.

Lectio viij.

Quærit, inquam, Pe-
trus, ne, si id a se
perciperes, præsertim
cum adhuc spiritus grátia
non abundáret, ambigui-
tate perpléxus jacéres,
sed, ut ab ipso ejus Ma-
gistro proláta senténtia,
firma spe roboréris. Nam
quemádmodum étiam nos
pro áliis disputámus, sic
Apóstolus quoque ad uni-
vèrsi orbis cómmodum
non dubitávit interro-

gare. A superioribus enim
patet, nihil de seipso am-
biguisse. Qui enim ipsó-
rum cœlorum claves sus-
cepit, quanto magis de
ceteris, quæ in cœlo sunt,
confidèret.

R. Accépta Baptismi
grátia, pòsitus apud óstia
Tiberína cum matre sua,
colloquebántur soli valde
dulciter, et inhiábant ore
cordis páriter in supérna
fluénta fontis vitæ :
* Vilescebátque mundus
iste inter verba, cum
delectatióibus suis, alle-
lúia. **V.** Tunc ait illa
filio : Nulla re jam de-
lector in hac vita, cum
te contémpta felicitate
terréna, videam servum
Dei. — Vilescebátque.
Glória Patri. Vilescebát-
que.

Lectio ix.

TU autem illud diligen-
ter expénde, quam
exquisite duo illa, quæ
Christus a dívite pètiit,
ut scilicet paupéribus
substántiam distribúeret
suam, et Christum seque-
rétur, bréviter compléxus
est, dicens : Reliquimus
ómnia, et secúti sumus
te. Ambo enim hæc facta
jam erant, nam sua reli-
quérunt, ut ipsum seque-
rétur, et eo quod ómnia

reliquérunt, sequi facilius
potuérunt : et quóniam
reliquérunt, confidere at-
que gaudere ipsos admo-
nébat. Quid igitur Chri-
stus respóndet? Amen
dico vobis, quia vos qui
secúti estis me, in rege-
neratióne, cum séderit
Filius hóminis in sede
majestátis suæ, sedébitis
et vos super sedes duó-
decim, judicántes duóde-
cim tribus Israël.

Te Deum laudámus.
**ubique solemniter in hoc
Festo cantetur.**

AD LAUDES.

et per Horas, Añæ.

1. Post mortem matris *
reversus est Augustinus
ad agros próprios, ubi
cum amicis, jejúniis et
oratióibus vacans, scri-
bébat, libros, et docébat
indóctos, allelúia.

2. Compérta * autem
ejus fama, beátus Valé-
rius Hipponénsis Episco-
pus, eum a pópulo appre-
hensum, ac sibi præsen-
tátum, licet invítum,
presbyterum ordinávit,
allelúia.

3. Factus ergo * Présby-
ter, monastérium mona-
chórum mox instituit, et
cœpit vivere secúndum
régulam sub sanctis Apó-

stolis constitutam, alleluia.

4. Sanctus autem Valerius ordinator ejus exultabat uberius, hominem sibi talem datum divinitus, qui in doctrina sana edificare Ecclesiam esset idoneus, alleluia.

5. Eodem tempore * Fortunatus Presbyter, Manichaeorum versutia plurimossedebat, quem sanctus Augustinus in conventu omnium disputans publice superavit, alleluia.

Capitulum. Eccli. 1.

Ecce sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsi domum, et in diebus suis corroboravit templum. Templi etiam altitudo ab ipso fundata est, duplex edificatio, et excelsi parietes templi.

Hymnus.

Tot lacrymarum filius: Maestae parentis gaudium

Doloris ictus cuspidem,
Fit caritatis victima.

Quem matris alvus edidit,

Tunc edidit miserimum:
Feliciorum denuo

Cor vulneratum parturit.
In lacrymarum fluctibus

Deforme monstrum mergitur,

Ut innovatum prodeat
Exinde formosissimum.
Fletus redundans effluit,
Pulchri doloris filius,
Fcedis lavacrum sordibus.

Cordisque plagis balsamum.

Gementis o puerperae
Felix dolor fecunditas
O lacrymarum gaudia
Quod gignis una in filio?

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit ac Paraclyto
In sempiterna saecula.
Amen.

V. Ora pro nobis, beate Pater Augustine, alleluia. **R.** Ut digni efficiamur promissionibus Christi, alleluia.

Ad Bened. Aña. Immisit Dominus in mentem Augustini, ut pergeret ad Simplicianum, qui ei bonus apparebat servus Dei, et lucebat in eo gratia divina, alleluia.

Oratio.

Deus, qui hodiernam diem beati Patris nostri Augustini Confessoris tui atque Pontificis mirabili conversione decorasti: praesta quaesumus; ut sicut Ecclesiam tuam propulsis erroribus protegit; ita corda nostra

precibus suis, contra malignos spiritus, tua gratia irrigante, defendat. Per Dominum.

AD TERTIAM.

Capit. Ecce sacerdos magnus. *ut supra.*

R. br. Amavit eum Dominus, et ornavit eum. * Alleluia, alleluia. Amavit. **V.** Stulam gloriae induit eum. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Amavit.

V. Elegit eum Dominus sacerdotem sibi, alleluia. **R.** Ad sacrificandum ei hostiam laudis, alleluia.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. 1.

In diebus ipsius emanaverunt putei aquarum, et quasi mare adimplenti sunt supra modum. Qui curavit gentem suam, et liberavit eam a perditione.

R. br. Elegit eum Dominus sacerdotem sibi, * Alleluia, alleluia. Elegit. **V.** Ad sacrificandum ei hostiam laudis. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Elegit.

V. Tu es sacerdos in aeternum, alleluia. **R.** Secundum ordinem Melchisedech, alleluia.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 1.

Quasi stella matutina in medio nebulae, et quasi luna plena in diebus suis lucet. Et quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei.

R. br. Tu es sacerdos in aeternum, * Alleluia, alleluia. Tu es. **V.** Secundum ordinem Melchisedech. Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Tu es.

V. Justum deduxit Dominus per vias rectas, alleluia. **R.** Et ostendit illi regnum Dei, alleluia.

IN II. VESPERIS.

Aña et Capit. de Laud., Psalmi de Domin., et loco ultimi, Ps. Meménto Domine David.

Hymnus. Jam suo tandem. *ut ad Matutinum.*

V. Ora pro nobis beate Pater Augustine, alleluia. **R.** Ut digni efficiamur promissionibus Christi, alleluia.

Ad Magnif. Aña. Augustini mater devotissima quem carne prius pepererat mundo, caritatis visceribus, postmodum multo semine lacrymarum genuit Christo, alleluia.